Theodobertus, Childeberti, Austrasiæ Regis, filius, Brunichildis auiæ artificijs exorto inter ipsum, et Theodoricum fratrem odio, tandem, post uaria fortunæ ludibria, Coloniam aufugit. nec tamen ibi quietam uitam egit, quin à familiaribus suis caput ei recisum Theodorico fratri allatum est. miserrimo humanæ uitæ exemplo. Obijt Anno DC. Filios habuit Sigibertum, Gunthramum, et Lotharium: è quibus Gunthramus, et Lotharius à Brunichilda ad Metim iugulati, ipso adhuc uiuente: Sigibertus uero, quorundam auxilio, ad cognatos suos, Gothfridum, et Genebaldum, Francorum Duces, in Franconiam confugit. ubi usque ad Theodorici patrui obitu delituit.